


1495  
1496







1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10





D. A. E. P.  
DISPUTATIO INAUGURALIS

24 ~~1650~~ 1650  
481.

1650 9.

DE  
**JURE TALIONIS**  
*QUAM*

Autoritate & Decreto Nobilissimi Collegii  
Juridici Argentoratensis

*Pro summis jurium honoribus & privilegiis  
consequendis*

proponit

**PHILIPPVS Schulz**  
Stetin. Pomeran.

*d. 19. Decemb. in Audit. Veteri.*



*ARGENTORATI*

Typis JOHANNIS PHILIPPI MÜLBI,  
ET JOSIAE STADELII,

---

M. DC. L.





D. J. E. T.  
DIREKTOR DER UNIVERSITÄT  
JURISPRUDENZ  
PROFESSOR DER RECHTSLEHRE  
UND DER VERFAHRENSRECHTLEHRE  
AN DER UNIVERSITÄT  
ZU HALLE

PHILIPPUS  
STEIN

ALBRECHT  
Typis JOHANNIS PHILIPPI MÜLLER  
Et JOSEPHI STEDER  
M. DC. L.







## Jova Juva.

**L**Mpetratâ nuper à Nobilissimo Collegio Juridico disputandi licentiâ simul in voto erat talem deligere materiem, quæ utrinq; & scholæ & vitæ conduceret. Anceps autem consilium nostrum & timidum circa hunc delectum judicium suâ prudentiâ juvabat Nobilissimum nostrum Collegium: superesse, ajebant, plures in Collegio Argentoratensi materias pressè nimis & concisiùs elaboratas. Inter alia intendebant in Pandect. lib. 2. tit. 2. Quod quisq; juris in alterum statuerit, ut ipse eodem jure utatur. Difficilior hic locus est in suâ hypothese, & lectorem textibus aliquot implicitis fatigat, valdè etiam illustris ob suam, ad quam reduci oportet, thesin: jus enim Talionis famosissimum ei suam commodat & impertitur justitiam: de utroque igitur hîc oportune agi posse, obvium erat. Constitueramus hinc utrique & Synthetice & Analytice litare Jurisprudentiæ, nimirum, ut haberet, quod sibi vindicaret Schola, periculum etiam faceremus commodare operam nostram vitæ, quæ licentiùs Talionis jus pro se usurpare proclivis. Verùm Synthesis de Talione, quæ præmittenda videbatur, & tempus & paginam, quam intra effusam prolixitatem continere decebat, nobis incautis & præter spem absumpsit: Analysin itaq; in ipsum titulum non cõscripsimus, præstituros autem id alios posthac magis decorè, non dubitamus. Judicent etiam alii in posterum de hac materiâ profundius: nullius enim studium & sublimius judicium nos anticipare volumus, sed potiùs sequi Autoritatem & Consilium Nobiliss: Dominorum Professorum. Offendant hîc, quod nos doceant Theologi & Philosophi: nemini tamen dissentienti quadam facilitate aut studio nos contradixisse, pignoramus fidem. Modestè ergò, si quæ error noster, velim nos moneant Theologi: facilè enim ab his in melius nos informari patiemur: Ignoscant etiam Philosophi, si fortè à Philosophiæ præceptis declinaverimus: imperiosa enim jurisprudentia est, & sæpiùs Phi-



Iosophiæ succumbere impatiens; sub illius autem obsequio & sub legum nos sumus autoritate, cum his igitur nobis sentiendum & statuendum.

## DE JURE TALIONIS

### THESIS I.

*Dispositio  
operis.*

Exposituris nobis jus & naturam Talionis præviâ quadam generali tractione erit inquirendum in ejus definitionem tum Nominalem tum Realem, adjectâ simul commodâ hujus Divisione: quam mox excipiet specialis meditatio, Causas, Effectus & alia hujus juris capita succinctè enumerans: eam enim methodum inculcant ipsæ LL. l. 1. d. Origin. Jur. & suadet jurisprudentiæ syntheticæ, cui hic studemus, ratio. Non promittimus autem opus aliquod absolutum: id enim non liceret per ingenii & studii nostri conditionem, sed delineabimus saltem jus hoc antiquissimum, & quâ justitiâ, quantaq; amplitudine sese commendet ac diffundat in varia vitæ humanæ negotia, paucis significabimus.

*Definit. No-  
minis 1) Et  
ymologia.*

II. Dicitur autem Talio à Tale, eâ scilicet significatione, quod tale quisq; pati, quale fecerit, & talem recipere debeat pœnam, qualem delicto suo meritis, à paritate, inquam, & similitudine delicti & pœnæ, facti admissi & retorti. Hinc Isidoro *lib. 5. Origin. cap. 27. de pœn. in LL. Constitutis* Talio est similitudo vindictæ, ut taliter quis patiatur, qualiter fecit. Probat etiam hanc Talionis derivationem Vossius *de Analog. lib. 1. cap. 22. præsupponite eandem* ut indubiam Jacob Gothof. *in fragm. LL XII. Tabul. lib. 3. probat. ad Tabul. 7.* Græcis dicitur ἀντιπελάργωσις, Harmenopulo *in Epitom. jur. civil. lib. 6. tit. 1. ταύτοπάθεια.* Aristot. *lib. 5. c. 5. de Morib. ἀντιπεπευδός.* Isidoro *Pelusiota lib. 2. Epist. 133. ἀμοικαίον,* quod LXX. Interpp. verterunt, *Mutuum,* quasi *jus mutuum* dicas: Retaliationem passim Latini dicunt, Priscianus *lib. 5. c. 1. admissi vicem* vocat: LL. Civiles expriment *per pœnam reciproci l. 2. C. de Exhib. et transm. Reus & supplicij similitudinem l. 17. C. de Accusat.* Germanis dici potest *Wiedergeltungs Recht.* Collegimus quidem hic varias Autorum voces, quibus jus Talionis notant singuli pro suo captu, nostræ autem doctrina se non omnes conformant: promiscuè enim etiam boni Autores agunt de jure & pœnâ Talionis, quam tamen nos ut effe-

ctum.



Etum à sua causâ distinguimus: de justitiâ enim & jure, quâ talis pœna exigî potest, nobis sermo erit, & ideò non omnes illæ usurpationes synonymæ.

III. Extensius autem interdum Talio usurpatur pro jure retribuendorum beneficiorum & pœnarum, quo sensu communis sermo est injuriæ & beneficentiæ, ut notat Isidor. loco laudato Th. præced. & Pythagoræi totam justitiam sub Talione contineri, & eandem per retaliationem rectè definiri docuerunt, ut etiam annotat Arist. loco supra alleg. Verùm laxior hæc utraq; significatio est, & nostræ doctrinæ minus conveniens: ut ut n. Pythagoræi retaliare idem esse quod suum cuiq; tribuere, & per retaliationem totam justitiæ naturâ & omne officium notari voluerint, ea tamè acceptio communi usu non probata, & hinc eandem asserere nos meritò etiam verecundamur.

3) Homonymia.

IV. Neq; etiam pro jure retribuendorum beneficiorum Talionem rectè hîc acceperis; licet enim beneficiorum collatio constituat quandam in accipiente obligationem, & eundem obstringat ad *avli d. 25. §. 11. & Hered. Petit.* illa tamen obligatio suæ naturalitati relicta, nec Gentium nec Civili juri agnita, & hinc vinculo suo destituta rubore accipientium tantum cõtinetur *d. l. 25. §. 11. junct. §. 1. J. de fideicom. Heredit.* Nobis autem de eâ juris specie hîc agere animus est, quod cum rerum naturâ natum suâ justitiâ & necessitate DEo & Gentibus sese commédavit: primogenita enim ferè inter divinas lex Talionis est *Gen. 9, 6. 7.* & munimentum vitæ, famæ, ac aliarum rerum humanarum: hinc generali quasi legislatione universi ferè Populi læso jus fecerunt, ab eo, qui læserat, apud Magistratum exigere talionem.

V. Est igitur nobis Talio jus lege naturali, divinâ, canonicâ, civili probatum, quo Magistratus tenetur vi suæ potestatis læso postulante, aut ex officio pensare nocentis factum pari & simili facto aut pœnâ, ad tutelam & pensandum innocentis damnum ac luitionem nocentis comparatum. Pythagoræi apud Aristotel. Talionem definierunt simpliciter jus, id quod vicissim defertur reciprocâ affectione vel pœnâ. Verùm hæc definitionem à nobis hîc sustineri non posse, Th. præcedenti ostendimus. Notanter autem genus Talionis jus constituimus; quamvis enim Talio multum facti habeat, & indè pro

Definit. Res

A 3

facto



facto sæpè circumferatur, nos tamen non quid fiat aut olim per Talionem factum, sed quantum fieri liceat, docebimus: & quidem propriè eam jus dicimus, non eo sensu, quo etiam illud interdum, quod iniquum est, jus dicitur. *l. 11. de J. & J.* Summa etenim æquitas hujus juris est, & sine cujusquam justâ indignatione. *arg. l. 1. pr. quod quisq; jur. in alt. statuer.*

*Divisio.*

VI. Divisio alia sumi potest ab *objecto*, scilicet quod Talio occupata sit in negotiis aut publicis aut privatis: Alia à *Formâ*, nimirum, quod Magistratus aliam ex officio talionem exigat, aliam ad instantiam læsi: & quod alia sumatur publicâ Magistratus auctoritate, alia privatâ & propriâ. *l. 3. §. 9. de Vi & vi armat.* quam tamen posteriorem Talionis speciem ut anomalam nostra definitio non complectitur: prohibentur enim aliàs privati sibi jus dicere. *l. un. C. nequis in sua Causâ Iudic.* paucis casibus exceptis *in l. 1. 2. C. quando liceat unicuiq; se vindic. l. 10. §. 16. quæ in fraud. credit.*

*Causa Ex-  
terna Effi-  
cens 1) Re-  
motior.*

VII. Præmissis his quæ ad generalem Talionis cognitionem pertinent, ad specialem nunc causarum expositionem progrediemur. Causam autem Talionis antiquissimam dicimus esse legem Naturæ: Natura enim ipsa dicitur æquum esse, ut, quantum quisq; fecit mali, tantundem patiatur, & qui malè fecit, malum ferat. Sapientissimâ etenim unius parentis creatione DEUS naturalem inter homines conciliavit cognationem, ut ea ad mutua nos obligaret beneficia *arg. l. 7. in fin. de serv. export.* & caveret, hominem homini nocere: quam Naturæ prohibitionem si qui violarent, ut humanitatis violatores innocenti ad talionem damnari æquum esse, simul constituit Natura. Prodidit se hujus legis virtus in Caino fratricidii conscio. Erat illa ætas ante leges latas, & tantum sub naturæ obsequio continebatur, & tamen ad Talionem conscientia damnabat Cainum sine lege & iudice *Gen. 4. 14.*

VIII. Et hæc Naturæ æquitas Gentium obligavit conscientiam, ut usu probarent legem, quam Natura suadebat rectam. Hinc sæpè à sapientibus jus Gentium dicitur, ut apud Ambrosium *Epist. 29. Tacit. Histor. 4. Livium lib. 1.* & ejus usus ferè apud omnes moratas gentes. De Græcis gente cultissimâ videatur *Diogen. Laert. lib. 1.* De Indis Strabo *Amasianus lib. 15.* Apud Romanos usus hujus antiquissimus: Populum sanctum solenni legislatione DEUS ipse ad ejus observationem obligavit, ut mox explicatiùs proponemus.

IX. Divina



IX. Divina enim lex de Talione posita exstat *Gen. 9, 6. 7. Exod. 21, 2)* *Remota*  
 12. 23. repetita *Levitit. 24, 19. 20. Deuter. 19, 19. 20.* Annotandum ta-  
 men hîc, legem Talionis admixtum quidem habere quid morale,  
 scilicet factum esse debere pœnæ mensuram, nec unquam fore im-  
 punitam nocentis malitiam, ut tamen vindicta facta substantiâ si-  
 milis sit præcisè, id morale non est, sed forense. vid. de hac. LL.  
 compositione Zepper. *lib. 1. c. 6. 7. 8.* & hinc ulterius infertur, le-  
 gem Talionis juris quidem esse Naturalis, non tamen Præceptivi,  
 sed Permissivi: Natura quippè tribuit jus Magistratui & læso exer-  
 cere quidè & exigere talionè sine reprehensione, nõ autem præci-  
 pit: si enim præciperet, moralem Talio haberet necessitatè, & sem-  
 piterna & immutabilis foret, quam tamen olim etiam in V. T. in  
 aliam pœnam potuisse converti, infra th. 51. prolixius dicimus.

X. Valdè illustris hic locus foret obsuam thesin: in genere e-  
 nim hîc agere liceret, in quantum DEUS obligaverit lege Forensi  
 eos, qui extra Politiam Judaicam: Verùm sublimior hæc materia  
 spernit nostrum iudicium, nec longiùs à nostrâ hypothesi nobis  
 abeundum: dicemus tamè aliquid, & paucis nos expediemus. Di-  
 stinguendum autem inter LL. forenses, quæ naturalibus & mora-  
 libus nituntur principiis in vim præceptionis aut prohibitionis,  
 & eas, quæ quidè ex jure Naturæ Permissivo aliquid admixtum ha-  
 bent, merè tamen forenses sunt, seu ad Politiam Judaicam tantum  
 conformata: priorum ratio ut æterna & immutabilis, sic ipsæ  
 quoq; perpetuæ ac sempiternæ. *S. pen. J de J. N. G. & C.* nos ligant  
 non quidem legislatione directâ, per indirectum tamen ob intrin-  
 secam, ut ita dixerim, moralitatem: Posteriores, quia morali de-  
 stituntur necessitate, & DEUS præcipuè ad indolem & Politiam  
 Judaicam easdem conformavit, nullo modo aliis præter Israelitas  
 sui obsequium sanciant. Et ad hanc posteriorem LL. classem  
 pertinere fortè dixerim pœnarũ plerarumq; modum in iisdem LL.  
 definitum, ne aliàs in verècundè damnemus plurimorum Princi-  
 pum & Rerump. Conscientias, pœnas LL. forensium passim in  
 alias convertentes.

XI. Insignis tamen harum LL. usus adhuc est, scilicet, ut  
 Christianus Magistratus, quicquid DEUS ita L. forensi præcepe-  
 rit, prohibuerit aut permiserit, sine ullâ justitiæ læsione suæ com-  
 modare possit Reip. Impossibile enim est DEUM quid minùs ju-  
 stum



stum constituisse. Sequi ergò potest securè hanc legislationem Politia Christiana, non autem tenetur: Et ut demùm ad nostram redeamus hypothesin, legem Talionis ut Naturæ conformem & divinâ sanctione roboratam potest omninò exercere Christiana Resp. necessitate tamen exequendi non constricta est.

XII. Nec obstat locus *Matth. 5, 38. 39.* ex quo postulationem & usum Talionis planè sublatum esse contendunt Photiniani: Animadvertendum enim Christum ibi non alloqui Magistratum, huic enim alibi potestas vindicandi conceditur, *Rom. 13.* sed concionem, & eos specialissimè, qui impetuntur: hos enim à privatâ vindictâ se abstinere docet, non autem damnat officium Magistratus, à quo justè petitur & rependitur Talio. Gerhard. *Tom. 3. de Evang. Idem Tom. 6. de Magist. sect. 5. memb. 2. artic. 2. §. 278.* In lucro namq; vindicta est, & homo ad hanc præceptus & proclivis: Eam igitur quâ privatam Christus abominatur, in tantum, ut si quis alapam infligat, læsus non vindicet, sed alteram maxillam etiam objiciat, non quidem ad effectum operis, ut loquuntur Theologi, sed ad puritatem cordis.

XIII. Et posito ulterius Christum dicto loco etiam notasse flagitationem Talionis in judicio: dicendum tamen, Eum ibi perfectissimam patientiam tantùm voluisse docere, non autem vim & disciplinam LL. civilium solvere *d. c. 5, 17. 18.* Ex quo consequitur, innocentius quidem esse, vindictam & Talionem non postulare in judicio, imprimis si illa fiat ad solum exsatiandum irascentis animum, postulante tamen etiam non delinquere: & ut brevius dicamus, non quidem iniquam esse ultionem, præstare tamen ei patientiam. Eadem ferè doctrina etiam juris civilis est: agnoscit enim & illud in aliâ hypothesi litigandi justitiam, nihilominus tamè pacè comendat, locus valde notabilis est in *l. 4 §. 1. de alienat. Iudic. mut. caus. fact. non improbat*, inquit ibi Ulpianus, *Prætor factum ejus, qui tanti habuit re carere, ne propter eam sapius litigaret: verecunda enim ejus cogitatio, qui lites exsecratur, non est vituperanda.* Et hinc etiam est, quod Canones cum Augustino sentiant, exigere Talionem esse quidem propinquum malis, convenire tamen etiam bonis, & injustorum esse eam justitiam, non quia iniqua sit ultio, quam lex statuit, sed quia vitiosa libido ulciscendi, magisq; ad judicem pertineat hoc inter homines decernere, quam bonum hominem sibi expetere. *C. sex. differentia. 1. 23. q. 3.*

XIV. Pro-



XIV. Probant tamen alibi Canones discretè hanc Talionis legem, ut apparet C. quod debetur. 2. 14. q. 1. C. cum omnes. 6. de constit. 6. 2. dist. 9. arg. etiam C. pro illorum. 22. de prebend. & dignitat. De jure civili res expedita est arg. t. t. quod quisq; jur. in alter. statuer. ut ipse eod. jure utatur. Vide suprâ th. nostram 2. & infrâ th. 50. Transit autem proculdubiò Talio è Græciâ in Romanam Remp. In LL. enim XII. Tabul. jam olim sancitam fuisse, annotatur §. 7. J. de injur. Verba legis in fragm. XII. Tabul. Jacob Gothofred. tabul. 7. sic expressit: Si membrum rupsit, ni cum eo pacit, talio esto. E Græciâ autem in Italiam translata LL. XII. Tabul. se juri Romano fundamento supposuisse, testis est l. 2. §. 4. de origin. jur. Livius. 3. 44. Flor. 1, 2, 4. Dionys. Halicarnas. 4. Cicero. lib. 2. de LL.

3) Propinqua

XV. Insigne ab hac suâ canitie sumit Talio commendationis argumentum: si enim justitia ejus non adedò obvia esset & evidens, nihilominus tamen se probaret Populis suâ antiquitate: fortissima enim pro antiquis LL. conclusio est, eas scilicet multis retrò seculis observatas, suâ, si qua fuisset, iniquitate nō potuisse fallere tot bonorum omni ætate malis mixtorum judicium & conscientiam.

XVI. Hanc autem Talionis retributionem & DEUS & Gentes commiserunt Magistratibus. Privata etenim injuriæ compensatio non solùm juri inimica, sed etiam Paci: blandè enim & tenerè homo se amat, & si læso concredita fuisset sui vindicta, proculdubiò plus æquo per talionis vlcem nocuisset lædenti, & sic promptissima privatis data fuisset & injustitiæ & majoris tumultus occasio. Huic malo singulari providentiâ obviam jerunt LL: idcirco enim, inquiunt, judiciorum vigor jurisq; publici tutela in medio constituta, ne quisquam sibi ipsi permittere valeat ultionem. l. 14. C. de Juda. & Coelicol. Et hinc inter Gentes reperta est sacra LL. reverentia, ut nihil manu, nihil proprio ageretur impulsu, & sibi quisq; jus competere ratus, id arbitrio Magistratus subjiceret: & hinc iterùm jura civilia damnant, & vim vocant, quoties quis id, quod deberi sibi putat, non per judicem reposcit. l. 13. quod met. causa.

4) Proxima

XVII. Magistratum autem hic accipimus tam Superiorem, quàm Inferiorem, pro diversâ scilicet objecti qualitate. Supremæ enim tantùm potestatis est talionem rependere publico ac solenni bello, quod fieri recte posse & debere interdum socialis hominum

B minimum

m  
m  
&  
na  
  
&  
ni-  
ic  
io-  
n-  
us,  
ng.  
q;  
ur  
am  
at,  
ed  
  
ffe  
er-  
im  
ui-  
tu-  
en-  
re-  
en  
o-  
ni-  
lie-  
fa-  
re-  
da.  
nt,  
am  
lex  
hoc  
lif-  
ro-



minum urget ratio: Iudicia enim ubi deficiunt, incipit bellum: sæpè autem deficiunt iudicia, & tum auxilium ab armis. Dolet enim interdum tota Resp. aut pars ejus injurias acceptas, & impatiens est iudicii lædens: & tùm bello publico sumere à lædente talionem, omni jure licitum, modò fiat ab eo, penes quem, ut diximus, suprema imperii vis & potestas: bellum enim gerere juris quasi transcendentalis est, & solum apud supremam positum Majestatem.

XVIII. Magni etenim momenti id negotium est, & sumitur facilè bellum, ægerrimè autem desinit, nec in ejusdem potestate initium & finis est: Et hinc cum tota civitas, imprimis autem Princeps ex bello in periculum veniant, omnium ferè Populorum LL. cautum est, ne bellum geri possit, nisi auctore eo, qui summam in civitate potestatem habeat. Sic apud Hebræos bellum geri non poterat sine decreto Synedrii Magni s. 71-viralis, ut annotat Selden. *lib. 6. c. 12. pr.* Extat de eo lex apud Platonem *lib. 12. de legib: si quis, inquit, privatim sine publico Scito pacem bellumvè fecerit, capitale esto.* *Ordo naturalis mortalium, inquit Augustinus lib. 22. c. 74. 75. contra Faust. paci accommodatus hoc poscit, ut suscipiendi belli autoritas atq; cõsili- um sit penes Principes.* Laudant hanc doctrinæ rectitudinem *Canones C. quid culpatur. 4. 23. q. 1.* Reos læsæ Majestatis facit jus civile, *qui injussu Principis bellum gesserit, delectumvè habuerit, exercitum comparaverit. l. 3. ad L. Iul. Majest. jungle. unic. C. ut armor. usus inscio Princ. interd. 11, 46.*

XIX. Quæri hîc oportunè posset, si nobis bonâ veniâ paululum digredi liceret, an Imperii Romani Status per partitam cum Imperatore Majestatem gerendi belli jure sint potiti? At eo ipso, quod divisa, non solida penes illos sit Majestas, non nisi Principis & Imperii consilio ab iis posse geri bellum, necessariò consequitur. Aliam autem Talionis legem exercere & his, & inferioribus adhuc permittimus Magistratibus.

*Causa Impulsa Interna & Externa.*

XX. Commovit autem proculdubiò Gentium Principes ad hanc Talionis L. recipiendam & exercendam justitiæ studium, quod & DEUS, & humanæ societatis ratio magnâ severitate iis commendat: DEUS enim ut justissimus, ita omnis injustitiæ impatientissimus: & tanta justitiæ circa civilem societatem virtus est, ut nec ij quidem, qui scelere aut maleficio pascuntur, possint sine ullâ particulâ



particulâ Justitiæ vivere. Cicer. 2. offic. obvia autem est & conspicua talionis justitia, & hinc amata Gentibus, sui usum latissimè diffundit. Sine justâ enim cujusvis indignatione æquum est, quod quisquè juris in alterum statuerit, ut ipse eodem jure utatur.

XXI. Inferunt porrò damnum aut injurias, & Talionem in se provocant aut Universitas aut singuli: Universitas aut Populus sine superiore, aut Civitas sub superiore: omnes aut mediatè aut immediatè. De singulis separatim, & priùs de Populo sine superiore.

*Causa Interna  
v. Mutu-  
rialis subje-  
cti (v. ubi v.)  
Subiectura  
lædens.*

XXII. Totius autem Populi vicem sustinet Magistratus arg. §. 5. l. de I. N. G. & C. l. 2. §. 9. de O. l. qui vel Princeps, vel Optimates, vel Singuli arg. §. 4. §. 6. l. de I. N. G. & C. Omnes hi nocent aut immediatè, ipsi scilicet in bellum euntes, vel alio modo lædentes; aut mediatè velut per ministros & subditos, quorum facta aut jubent aut probant. Idem utrinquè; judicium: sive enim immediatè animo scilicet & corpore suo simul noceant Principes, sive mediatè animo suo & ministerio alterius, idem juris effectus erit arg. l. 1. §. 12. 14. fin. de Vi & vi armat. l. 3. §. 1. quod quisquè jur. in alter. stat. l. 15. ad L. Cornel. de Sicar. l. 15. §. 2. de injur. & utrinquè se & totum Populum obligant ad talionem, cum hoc tamen temperamento, si parci possit Populo innocenti, potiùs, imo præcisè talio reponatur Principi, promiscuè autem tùm, cum Populus consentit, & Magistratum facinoribus se immiscuit.

XXIII. Receptum quippè jam jure gentium est, ut quicquid delirent Reges, plectantur Achivi: & dedit huic juricausam, quod res Principum & Populi ita plerumquè, mutuo colligata, ut neutrum sine alterius sensu & sympathiâ contingi possit. Aut enim patitur Populus, & patitur Princeps in Populo: sic Deus Davidi ægrè facturus, populum pestilentiam conficit; aut patitur Princeps & vix potest fieri, quin non sensum doloris etiam habeat Populus, & tota Resp. laboret. Imò prorsus non, aut sanè difficillimè potest vindicta progredi in Principem, nisi prius corripiat Populum. Quis enim Principum vindictæ & periculo imminenti non objiciet subditos? Et tamen consulendum publicæ Gentium securitati, quæ sæpè non nisi pœnis & vindictâ potest redimi. Si ergo unquam foret iniquum, pati Populum cum Principe, pensaret tamen id Gentium indè dependens securitas, nec patitur hinc Po-



populus sine causâ, licet pariatur sine culpâ. Besold. *Disp. 5. de jure uni-*  
*vers. C. 7. n. 2.* Hoc enim si jure gentium receptum non esset, Princi-  
pibus & Magistratui daretur impunè grassandi & nocèdi licentia:  
& sic nusquã tuta foret societatis humanæ tranquillitas. Accedit,  
quod Princeps aut Magistratus vix publicè nocere possit, quin  
simul subditos implicet. Aut enim merè subditos Princeps habet,  
& publicè nociturus, proculdubiò his imperabit bellum, quibus  
tùm alio bello talionem à læsis posse reponi, indubium; aut non  
merè subditi sunt Principis, & hi obligabuntur ex negligentia,  
quod Principem lædentem non retinuerint, aut ei non contra-  
dixerint.

XXIV. Favet his Gentium moribus etiam jus sacrum: *Diliges,*  
*inquit, proximum sicut, non ultra, te ipsum:* quod si autem Princeps  
aut in se aut in subditis læsus, ut parceret Populo, in Principem e-  
jus nocentem non animadvertit, scilicet quod pœnâ eum petere  
non possit, nisi priùs affligat Populum, se, suosque destitutos novis  
injuriis exponit, & inordinatâ charitate alienos cõplectitur. Et li-  
cet etiã hîc innocens Populus, & pœna igitur & bellum in ipso ca-  
pite noxio finiendum esset, quod suos jubet Rex Syria 1. *Reg. 22, 31.*  
quia tamen Principes à suis undiquaq; circumdantur, erit id pœnæ  
compendium impossibile: hinc clarigationibus fortè monendi  
subditi, ut secedant à Principe; quod si secedere aut non possint  
aut nolint, ut nobis & nostratibus imposterùm sit quies, cor illud  
malitiæ per illorum latera peti poterit & oportebit. *Confer. 2. Sam.*  
*20, 19. 20, 21.* Temperet autem hîc Princeps ultor pœnam, in quan-  
tum unquam possibile: quod si nihilominus pereant aliqui inno-  
centes, omnium bonorum conscientiam contestetur, parcere his  
sibi quidem in votis, in potestate autem nequaquam fuisse. Præ-  
tereà error capitis Politici est ab irâ DEi super populum, cujus pun-  
niendi causa sæpè illud deserit in donis administrantibus & labi-  
finit DEus 2. *Sam. 24, 1.* punitur ergò tùm quidem Princeps ut mali  
principium, patitur autem jure etiam populus, qui ut pateretur,  
Principem sic delinquere permisit DEus. Alia si quæ sunt aut à  
nobis hîc omissa, aut concisè nimis allata, videantur apud ipsos  
Theologos.

XXV. Non reciproca tamen hæc obligatio est, nec pariter,  
ut ob Principem populus, sic ob populum Princeps talioni subji-  
citur,



citur. Aut enim nescius est Princeps popularis cōsiliij & facti, & nullo modo damni aut pœnæ reus est, aut sciens; si sciens, cognovit Princeps populum aut velle lædere, aut læsisse: si prius, (1) minari scilicet populum aliis damnum aut injurias, & illum adjuvat consilio aut ope, aut saltem non impedit tùm, cum potest, jure quidem talio illi reddi poterit, at non tàm ob culpam alienam, quàm propriam. Est assertionis hujus justitia maximè quidem evidentiùm, cum Princeps consilium aut opem sociavit populo, habet tamen & suam æquitatem etiam tùm, cum non impedit: In cujus enim manu est, ut prohibeat, ipse fecit, si non prohibet admitti *arg. l. 9. §. 1. ad L. Cornel. de fals. l. 7. qui sine manu niss. ad libert. perven. l. 45. pr. ad L. Aquil.* Cicero in Pisone: *neq; verò multum interest, inquit, præsertim in consule, utrum ipse perniciosis legibus, improbis concionibus Remp. vexet, an alios vexare patiarur.* Augustinus verè: *qui desinit obviare, cum potest, consentit.* Et hoc utroq; quidem casu nec Principem puniendo aut dedendo subditos se liberare, sed talionem ab ipso Principe vel alio Magistratu poscere posse læsum statuimus, *arg. l. 4. C. de noxal. action. l. 2. p. §. 1. l. 3. eod.*

XXVI. Sin posterius, (2) scilicet innotuisse demum Principi injurias à populo illatas: & tum non ad arma protinùs procurrendum, & Magistratum statim vindictâ impetere licebit: suo enim periculo sæpè furit populus, nec hujus amentia toti civitati assignanda, & omnia hïc & quodocunq; prius experiri, quam bello talionem reponere sapientius esse judicamus. Agere autem in judicio hïc poterit læsus ex jure gētium, ut Magistratus aut damnum ex bonis nocentium reparet, aut noxios dedat vel puniat *arg. Iudic. 15, 9. 10. 11. 20, 13.* quod si non præstiterit, tum demùm crimen facit publicum, & nocentium in se vertit pœnam Magistratus. Et hinc populum aut Principem eorumq; res promiscuè armis, pñorationibus, repressaliis persequi & inde sibi consulere, integrum erit læso: undiquaq; tamen, ut apparet, non tam ex populi, quam suâ tenetur culpâ Magistratus.

XXVII. Et ulterius, quod Principem ad talionem obligari diximus, cum subditos non punir aut dedit, id obtinere etiam arbitramur in non subditis delinquentibus, quos recipit: Recipiuntur autem hi aut in tutelam, aut intra fines; circa priores se facile expedit assertio nostra, de reliquis intra nostros saltem fines



semet recipientibus dubitari fortè posset. At dicimus, cogno-  
scere & statuere de crimine Rei saltè apud se reperti quemlibet  
posse Magistratum *arg. l. 1. C. ubi de Crimin. agi oport. confer 2. Samu-  
el. 20, 21.* quod jus natura fecit: naturà enim sequior ob suum de-  
lictum, & cui libet, qui modò animadvertendi potestatem habet,  
sive minori sive pari sive superiori se subjicit delinquens. Agnovit  
miseram hanc malorum conditionem Henrici III. R. Christianis-  
simi orator Pomponius Belleureus: Apud Elisabetham enim An-  
glia Regiam supplicium Mariae Stuardae Scotorum Reginae de-  
precaturus, varia quidem pro ejus liberatione conclamat argu-  
menta, posse tamen Regiam Elisabetham in Mariam Regiam,  
exauctorata jam ob crimen dignitatis, in suo territorio repertam,  
& carcere à se attentam, jure statuere pœnam, publicè contra Sco-  
tam confitebatur. *Thuan. lib. 86.* Notanter autem diximus, natu-  
rale esse Reum sic cui libet ad pœnam subjici: sanctio enim civilis  
aliud sæpe constituit *arg. l. 3. C. ubi Senat. vel Clariss.* Et Dd. pas-  
sîm Status imperii ubicunq; delinquentes vel repertos coram Im-  
peratore tantùm, aut quod aliis etiam placet, coram Austregis pos-  
se conveniri statuunt. Si igitur, ut redeamus ad nostram hypo-  
thesin, negligat Magistratus punire aut dedere Reum intra impe-  
rij sui fines commorantem, sub præsidium nocentem recepisse  
præsumitur, & jure ob hujus delictum ei talio reponi poterit.

XXVIII. Præterea, quod supra th. 25. annotavimus circa sub-  
ditos, idem ferè circa ministros Principis aut Magistratum repeti  
poterit: An enim noverit, an jusserit, an probaverit ministri nocē-  
tis factum Princeps, perpetuò etiam hîc inquirendum erit: iisdem  
quippè modis à ministris, quibus à subditis, in Principè obligatio  
derivabitur, & iisdem etiam modis, puniendo scilicet aut dedendo  
malos ministros, sese ab obligatione liberare poterit Princeps. Cæ-  
terùm opponi tamè hîc posset, nasci subditos, eligi ministros: illo-  
rum malitiam fato, horum imprudentiæ imputari, & exactissi-  
mam circa delectum ministrorum à Principe exigî diligentiam,  
ac proindè non æq; dedendo malos ministros quam subditos se  
expedire posse Principem, etiam quoad cætera innocentem. At  
sciendum, malorum hominum uti operâ, in re privatâ quidem  
cõstituere obligationem §. 1. *Et ult. l. de oblig. que ex quis. delict. nasc.*  
non æquè in negotiis publicis *arg. l. 2. quod quisque jur. in alt. stat.*  
nec



nec Principes ex Iure gentium teneri, si sine suo consilio nocuerint ministri, ne aliàs securitas publica à mali ministri penderet arbitrio. Et sanè prospicere ministros neq; nunc esse, neq; unquam fore malos, non humanæ, sed divinæ providentiæ est. Liber ergò à Talionis metu Princeps, qui ex bonis ministrorum aut reparat damnum, aut eosdem punit aut dedit læso.

XXIX. Porrò sicut inter privatos ejusdem criminis Rei fiunt non illi tantùm, qui præcipuè delinquant, sed & cæteri, qui operam suam sociarunt improbis. §. 11. l. de oblig. qua ex delict. nasc. l. un. §. 2. C. de Rapru Virgin. ita etiam jure gentium derivare in se pœnam & obligari Talioni dixerim Principem aut Populum, qui jure fœderis commodat opem nocentibus. Sicuti enim fœderati sociatis virib. & consiliis nocent, ita etiã causæ justitiæ & injustitiæ invicem partiuntur. Hinc Græci & Romani ferè socios in mutua auxilia & arma vocantes, iis prius de causæ justitiæ judiciũ permiserunt, scilicet, ne, si infelix foret bellum, ejus injustitiam sibi jure exprobrarent socii, tùm, quod qui pro sociis arma sumunt, bellum faciant suum, & idem utrinq; contrahatur pœnæ meritum. Sic contra Cæsarem Sueci de belli novissimè sopiti justitiæ conscientiam ferè Gentium Europæarum obtestabantur, & quod Cæsar jure fœderis in bello cum Rege Polono Anno 1627. & 28. sociis armis sibi nocuisset, bellum bello pensare sibi jure Talionis licuisse, in totius quasi Europæ conspectu instantissimè propugnabant.

XXX. Hactenus de Universitate sive Populo sine superiore, agendum jam erit de Universitate sive Civitate sub superiore. Eam dixerim lædere aut collectivè, communi scilicet consilio Rectores & populum simul, aut partialiter: (1.) priori casu in totam universitatem aut singulos universitatis promiscuè posse exerceri L. Talionis, expediti puto esse juris. *fac. l. 9. §. 1. quod. met. causa gest. l. 15. §. 2. quod vi aut clam*, ita, si damni reparationem postulet talio, ut ex Civitatis patrimonio aut privatorum bonis indistinctè satisfiat læso, aut si ob facti atrocitatem vindictam flagitet Justitia, cunctis honoribus & juribus exuere, & ad mortem civilem ac aratrum damnare civitatem l. 21. quib. mod. usufr. amitt. singulos etiam Civium prehendere, & suppliciiis afficere liceat. Modestè tamen hoc jure utendum existimaverim: ut enim ab omni multitudinis pœnâ velle abstinere, crudelis foret mise-

r. Collectivè



miseriordia, ita tamen necessariam dixerim moderationem, ubi tota deservit Civitas, ne pœna & judicii acerbitas vastet magis quam corrigat Civitatem: imprimis cum non possit fieri, quin in tota civitate aliqui exstiterint innocentes: hos autem cum nocentibus promiscuis pœnis rapere, prodigere esset hominum vitam. In tantum igitur & hic valeat Jcti judicium: *satius esse impunitum relinqui facinus nocentis, quam innocentem damnare. l. 5. pr. de pœn.*

2. Partia.  
lster.

XXXI. Et parcius adhuc, quod posterius civitatis nocentis exemplum est, (2.) pœnâ sciendum sentimus in subditos, qui ex facto Rectorum & Magistratum saltèm obligantur: ob delictum enim Magistratum etiam pœnam à subditis posse sumi, supra ex jure gentium docuimus. Vide iterum Besold. *Diss. 5. de Jure Univers. c. 7. n. 2.* Receptum autem hoc gentium jus etiam in civitatem Romanam: Hinc tota universitas ob delictum Magistratus imperii banno & execrationibus devovetur: nec hec Jus Civile abominantur Canones: Hi enim ob Rectorem puniendum cives cunctos verbi auditu & Sacramentorum usu interdicit *C. si sententia. 16. de sentent. excommunic. in 6.* Lentè tamen hanc severitatem distringi iterum iterumquè vellem, & si ad damni reparationem fortè cogenda, aut ad exemplum plectenda civitas ob injurias Magistratum, ex patrimonio aut agris publicis prius satisfaciendum, & Magistratus nocentes ipsi antè corripiendi: quod si horum separatim copia non detur, tùm demum res & personas civium prehendere ac multare, & totam etiam civitatem debellare licebit.

XXXII. Omnia hæc tamen supremum Civitatis nocentis Magistratum exequi oportet: quod ille si negligat, Læsus demùm lege Talionis aut ipse aut Magistratus sui autoritate capere civitatem, pignorare & suæ consulere poterit indemnitati: Imò ipse Magistratus superior ob hunc Justitiæ neglectum talionis legem pati non jure indignabitur: par enim delictum eorum, apud quos crimen admissum, & eorum, qui fontem punire negligunt. Disertè autem dico hæc esse juris gentium, illius scilicet, quod usu exigente & humanis necessitatibus urgentibus constitutum §. 2. *l. de I. N. G. & C.* & hinc hujus juris usus patet quidem genti contra gentem, non æque unius imperii concivibus. Injicit enim Jus Civile frenum huic gentium juri, ut apparet *ex l. unic. C. ut ut null.*



*ex vican. 11, 56. l. 4. C. de execut. & exact. 12, 16. N. 52. c. 1. N. 134. c. 4. c. unit. de injur. in 6. Ordinatio. Camer. Imper. part. 2. tit. 22. nec id iniquè: bella enim civilia providè sic intercipiuntur, & cives contra concives, sive singuli sint, sive universitas, apud supremum Magistratum in jure experiri, & ejus judicio sive æquo sive iniquo acquiescere decebit. Androleptiæ autem & aliis remediis violentis ex gentium Jure tum demum nos facimus locum, cum non sub eodem læsus & lædens imperio, aut nullum in legibus aut judiciis præsidium.*

XXXIII. Et hucusquè de Universitate nocente, succedit deniq; quomodo singuli lædant actalioni se subjiciat: nocent autem iterùm hi vel primariò vel secundariò: primariò nocet, qui ipsimet immediatè & proximè nos affligunt, & quomodocunquè iniqui sunt: quorum sive unus sive plures sunt, cuilibet talio reponi potest in solidum *arg. l. 21. de furt. l. 34. de injur. l. 11. §. 2. 4. l. 51. §. ult. ad L. Aquil. secundariò nocent, qui quidem interventu aliorum nobis sunt injurii, ipsi tamen mandant, consulunt, adjuvant & laudant: omnes hi, ut ab actu nocendi sunt remotiores, non minùs tamen ut ceteri ob insignem hanc improbitatem obligabuntur talioni *arg. l. 15. §. 1. ad L. Corn. de Sicar. §. 11. 1. de injur. l. 5. C. de Accus. l. 3. §. 1. quod quisque jur. in alter. stat. §. 8. 11. 1. de oblig. qua ex delict. nasc. l. 1. §. 4. de servo corrupt.**

XXXIV. An autem & quatenùs Jus talionis etiam nocentium heredes pœnæ obstringat, distinctè hìc exponendum. Cognitum enim de Jure civili pœnam in heredes regulariter non transire *l. 20. de pœn. noxa enim suum sequi debet caput l. 1. §. 2. de privat. delict. & personalia sunt vitia & virtutes, personalia itaquè erunt etiam præmium & pœna *arg. l. 6. 1. de I. N. G. & C. & defuncti vitia, in quæ succedere heres dicitur l. 11. princ. de divers. & temporal. præscript. non personæ, sed rebus coherent. §. 9. 1. de usucap. Hinc nec talionis pœnam, quam vix sine publicâ necessitate delinquentis personam transgredi volumus, in heredes procedere statuimus: quod si tamen nocuerit defunctus, & indè ad se aut ad suos aliquid pervenerit, quò minùs tum talio etiam corripiat heredes, extra dubium est. *arg. l. 5. pr. Calumniat. fac. l. 3. §. 5. quod quisq; jur. in alter. stat.***

XXXV. Superiùs Universitatem sæpè ob commune aut Magistratus delictum talione esse dignam docuimus: An igitur, si non idem nunc Magistratus, nemo etiam, aut paucissimi universi-

C

tatis



tatis delinquentis supersint cives, eorum nihilominus successoribus jure reponi possit talio, hinc disquirendum? Et dicimus, seram omnino fore hanc vindictam, & non sine iracundæ lubidinis & injustitiæ famâ: quod enim eadem maneat Universitas omnibus etiam immutatis civibus l. 7 § 2 *quod cujuscunq; universis*. id obtinere autumarem tantum in favorabilibus; & crudelitatem, non justam hanc vocat ultionem Curtius 7, 5, 35. damnat Arrianus Alexandri vindictam in Persas, quod jam pridem interiissent, qui Græcos olim bello petiissent: quod si tamen injuria sæpius repetita, & læsus non dissimulatione, sed vi externâ à retaliationē fuerit abstinens, posteri etiam aut aliæ gentes in exemplum caperent hanc læsionem, tum, quò minus in vindictam excandescere, & delinquentium posteris talionem reponere possit, non dubitamus.

II. Subje-  
ctum læ-  
sionis.

XXXVI. Notavimus in præcedentibus, quinã noceant, & talionis pœnam mereantur, subjungendum nunc, quinam injurias patiantur, & talionem sibi postulare possint. Hi etiam sunt vel Universi vel Singuli: Universi iterum vel Populus vel Civitas: omnes denique vel mediatè vel immediatè.

XXXVII. Universi Populi caput est Princeps aut alius superior Magistratus. Læditur ergò populus aut in hoc suo capite, aut in reliquis membris, utrinque quidem injuria communis est, & mutui doloris sensus, non autè talionis aut ulciscendi jus utrinque commune. Lege enim Regiã abdicavit inter alia à se in Principem & hanc potestatem populus: Hinc si sibi fiat injuria, jus quidem habet postulare à Principe suo vindictam in nocentes, utrum autem ulcisci, an dissimulare injuriã consultius, Principis erit consulere & arbitrari: Et condolare quidè populari injuriã, & sumere etiã à nocentibus talionem tenebitur Princeps: Sic pro Gabaonitis sibi subjectis contra injuriam Amoritaram arma sumit populus Hebræus duce Josuã Jos. 10, 6. *Quot bella*, inquit Cicero in Verr. II. *maiores nostri susceperunt, quod cives Romani injuriã affecti, navicularii retenti, mercatores spoliati esse dicerentur*; Circumspicere tamen etiam erit Principis, an non validior viribus aut æqualis lædens, & tum è lege prudentiæ aut vindictam aut dissimulationem statuere. Ut enim Judicem civilem, sic Principem facinora ulcipientem lædente oportet esse validiorem, ne aliàs ob præposteram populi iracundiam contra omnem civilis Sipientiæ rationem totam Remp. aut  
ambi-



ambiguo Marti exponat, aut etiam in præsentissimum conjiciat periculum. Justitiam autem apud Exteros impetrare pro subditis, & judiciis consulere suis Princeps perpetuè & strenuè laboret, ne populus sui neglectum causari, & amore & obsequio in Principem se exuere aufit.

XXXVIII. Principis ergò erit, ut diximus, & suam & Populi ulcisci injuriam. Ubi neminem offendere velim, quod hic Principis & Populi injuriam distinguamus, quam th. præced. utrinquè facimus communem: Caput enim populi Princeps quidem est, & injuriam ille accipere non potest, quæ non etiam pertineat ad populum: nec populus experiri vim, quæ non penetret in Principem. Caterùm, ut Cephalalgia & Podagra totum corpus naturale affligunt quidem, illa tamen caput, hæc pedes immediatè tenet: Sic corpus morale sive civile communi quidem sensu dolet injuriam allatam, quæ tamen aut capiti aut membris magis propria, & quod alterutrum immediatè afficiat, à subjecto suo rectè distinguitur.

XXXIX. Proindè læduntur Principes & alii supremi populorum Rectores in his, quæ vel naturæ & gentium jure, vel lege imperii ad eos pertinent: Jure gentium ad Principes pertinet gerere curam humani generis & quia pars gentium potior & dignior Principes, custodia etiam juriū gentilium. Ut enim cunctis unius imperii civibus ad suum jus tuendum populares competunt actiones *l. 1. de popular actionibus*. ita tamen, ut quorum maximè interest, in actionibus his instituendis reliquis præferantur. *l. 3. §. 1. d. t.* Sic Principibus ut illustrioribus Magnæ Reip. Civibus, & quorum sanctum esse gentium jus præcipuè interest, & à Deo & Gentium suffragiis impositam esse dixerim juris naturalis tutelam, cum potestate animadvertendi in homines naturæ hostes. Et hinc si tota civitas aut populus inter se impunè jus naturæ violet, bellum in hos ut in inimicas belluas esse naturale, & à quolibet Principum, etiam non peculiariter læso, jure posse suscipi, etiam dixerim. Et justa quidem illis hæc erit talio, scilicet, ut qui & naturæ & gentiū jus indignè proscribant, ii iterùm à natura proscripti, non fruantur universali mundi pace, quam naturalis cognatio inter homines sancivit. *l. 3. de l. & l.*

XL. Juvare videtur hanc nostram positionem jus etiam

C 2 divi-



divinum: sic enim Dei mandato & executione sanctissimorum vi-  
rorum Josuæ & Eleazaris ob peccata contra naturam præcisè è re-  
rum naturâ sunt excisi septem illi populi Cananæorum *Levit. 18, à  
6. ad 28. confer Deut. 7, 2. 20. 21. & seqq. c. 9, 4. c. 18, 10. 11. 12. 13. & librum  
Josuæ passim.* sine miseratione enim Deus his hominum monstris &  
naturæ desertoribus indignatus est, *Ios. 11, 19. 20.* & ob flagitia sua  
atrocissima ut indignos hominum consortio devovit, & è rerum  
naturâ extirpari voluit. Possè imitari hanc Dei iram Principes, diu  
quidem hæsi adfirmare: obstabat tùm quod plenissimū Dei jus &  
supereminens in hominum vitam dominium, & hinc si quid ille  
gravius statueret, id vix quidem caderet sub exemplum, tùm quod  
fallax principum pietas, & facilè sub hoc zeli judicio obtegi pos-  
set alieni cupiditas. Verùm Magistratui etiam jus esse in vitam  
nocētis jam supra docui, & vivunt hi, quos damnamus, cum com-  
muni gentium scandalo & nocumento: cum iisdem igitur ut ini-  
micis serpentibus, & aliis venenatis animalibus posse ferè agi dici-  
mus. Præterea licet subtraheretur Principibus hæc bellandi causa,  
nunquã tamen illis aliena appetentibus deerit *περὶ φανς*, & abusus nõ  
toti juri contrahet vitium. Hinc Principē ad hoc zeli judicium nos  
quidem pietate & justitiæ amore duci volumus: quod si autē alieni  
cōcupiscentiã incessat has gentes, iniquè quidē tum aget Princeps,  
illæ tamen nihilominus justè patiuntur. Aliquem etiã alieni appe-  
titum, modò præponderet justitiæ studium, belli causæ hinc miscere  
posse Principem, fortè admittimus: Jure enim retinere sub suo &  
naturæ imperio gentes noxias, & si eas nullomodo dedocere pos-  
sit belluinam feritatem, tùm quò minùs etiam prorsùs excindere,  
& illorum terram, ut possessoribus vacuam, occupare possit Prin-  
ceps, non dubitamus. *arg. Levit. 18, 25.*

XLI. Præmissis ergò hiscè concludimus, & denuò dicimus,  
quod si qui populi sint v. g. Anthropophagi, incestuosi, Sodomita-  
tæ, inhospitales, parricidæ, aut aliàs gentium jus in eo violent, in  
quo aliquod societatis humanæ fundamentū situm est, illos ut na-  
turæ hostes communi gentium decreto, vel etiam à quolibet Prin-  
cipe aut superiori Magistratu justè posse debellari. Ubi tamen non  
eum statim populū tale fieri mundi piaculum volumus, apud quē  
istijsmodi crimina, etiam crebriora, reperiuntur, sed eum demùm,  
qui non legibus coercet, sed vel tacito consensu probat, vel etiam  
defendit



defendit talia, ut Iudic. 20, 13. 18. Sicuti enim qui semetipsum iudicat, non iudicandus est. 1. Cor. 11, 13. ita contra, qui sine vindictâ & iudice violat naturæ legem, ut Sodomitæ Gen. 19, 9. 11. 13. Is ille est, quem gentes merito iudicant & abominantur. Et deniq; ut etiam in hypothese disputem hanc materiam, Americanos ex hoc capite bello, pœnâ dignos fuisse, & ab Hispano aut alio quovis Christiani orbis Principe sine ullâ aliâ causâ iure potuisse debellari existimo.

XLII. Lege Imperii ad Principem quæ pertinent, vel utilitatem publicam, vel commodum ejus privatum concernunt: quæ utilitatem publicam, sunt jura, vel res etiam corporales pro salute & tutelâ imperij à populo Principi addicta, ut v. g. personam Principis ob eam, quâ supra omnes positus est, dignitatem esse sacrosanctam, ponere tollere legem, jus pacis, belli, fœderum faciendorum, tributum, vectigalia exigere, definire controversias privatorum &c. Commodum Principis privato inserviunt res & jura pro iis competentia, quæ populi pro sustinendis regiæ dignitatis oneribus quasi stipendium Principibus assignarunt *fac. l. 39. §. ult. de legat. 1.* Adjiciemus hîc etiam ea, quæ Principibus ut privatis aliundè adquirentur. *l. 56. Leg. 2. vid. l. 3. pr. C. ubi senat. vel Clariss. §. ult. l. de usucap. l. 3. C. de quadr. præscr.* In his omnibus læsum Principem vel ab Extraneis vel à Civibus, si factum lædentis ejusmodi, ut in eo talionis iudicium locum habeat, injuriam acceptam ulcisci posse, expeditum est.

XLIII. Suprà th. 36. jam dicere cœpimus, lædi Principem mediatè aut immediatè, subjecimus th. 38. exemplum læsionis mediatæ in subditis, lædi etiam Principem mediatè in Legatis aut aliis ministris, nunc dicendum. Et Legati quidem lædi non possunt, ut ad Principem non simul & propriè pertineat injuria: Principis enim & Reip. autoritate hi semper agunt, & fictione quadam juris gentium pro mittentium personis habentur. Et hinc bella ob dolorem violatæ legationis à Regibus sæpissimè suscepta, & sacra & gentium historia probat. An autem tum demùm justam habeant irascendi causam Principes, cum per injuriam læduntur, an verò etiam, cum ob delictū aliquod patiuntur & pœnam luunt Legati, difficilius definitionis est. Nos dicimus, jus gentium custodire etiam Legatos nocentes. Grave in hanc rem Livii &





Sallustii iudicium exstat apud Grot. *de I. P. & B.* 2, 18, 4. & solida  
ejusdem pro hac nostrâ assertionem ibi conclusio est, scilicet, si non  
securi essent Legati etiam à vi iustâ, nil ultra jus commune his tri-  
buisse, & frustra tam sanctam legationum reverentiam constituis-  
se juragentium. Certè ob necessitatem legationum plenissimè  
Legatorum saluti voluisse consulere Gentes, omninò præsumen-  
dum: malè autem consultum fore securitati Legatorum, si illi ju-  
dicio plerumq; corrupto, sæpè etiam hostili Principis, ad quem  
missi, subjicerentur: reddi itaq; eos oportere Principi mittenti,  
ut ille cognitâ causâ Legatos criminum reos aut puniat aut dedat;  
quod si aliud fiat, lædi in Legatis etiam delicti alicujus pœnam pa-  
tientibus Principem mittentem, & talionem ob id posse reponere,  
& nos concludimus.

XLIV. Alia conditio est reliquorum ministrorum: ho-  
rum enim injuria non semper directè progreditur in Principem.  
Odiola enim hæc materia est, & atrocitatem injuriæ valdè inten-  
dit dignitas personæ læsæ §. 9. 1. *de injur.* A proposito igitur delin-  
quentis hinc exactè distinguenda erit injuria. Læsit namquè quis  
ministrum, ut Principi faceret agrè, & proculdubio reddere talio-  
nem, vel aliàs severissimè suo nomine vindicare poterit hanc in-  
juriam Princeps; aut eo animo quispiam nocuit ministro, ut in-  
juria non transiret in Principem, & longè remissior erit pœna, &  
ipsi ministro competet vindicta. *facit l. 15. §. 34. & seqq. de injur.* Sem-  
per autem in dubio præsumendum, voluisse nocentem tantum læ-  
dere ministrum, ne aliàs contra juris analogiam odia temerè am-  
plientur.

XLV. Dicendum jam foret de læsâ Universitate sub su-  
periore: Verùm quia pleraq; quæ huc pertinent, circa populum  
læsum jam exposuimus, succincta erit hæc tractatio. Totius au-  
tem Civitatis vicem gerit Magistratus Municipalis: hunc lædi di-  
cimus vel in Rebus vel Personis: in Personis vel propriis, vel con-  
civium, vel ministrorum: In rebus tùm civitati propriis, ut sunt ju-  
ra, & publicum patrimonium, quod singulas etiam habere civita-  
tes necesse est, *arg. l. 10. C. de Vectigal. & commiss. l. 11. C. de operib. pu-  
blic.* tum Singulorum: singulos enim cives esse indemnes, publicè  
interest, ut suprâ docuimus. Læditur ergò sic undiquaq; quidem  
Civitas, alibi tamen mediatè, alibi immediatè, & pro subjecti læ-  
dentis



de ntis vel facti admissi qualitate, aut ipsius civitatis, aut Principis autoritate retribuenda talio: Ipsamet Civitas vindicabit injuriam, si lædens è civibus suis, & juri talionis modicâ aliquâ coercitione satisfieri possit *arg. l. ult. de offic. ejus cui mand. jurisd. l. 26. pr. ad Municip.* Principis autoritate opus tum est, cum factum lædentis gravius, aut nocuerit non Civis, sive Universitas sit, sive singuli: In his enim, ut & sunt in aliis *l. 16. de V. S. privatorum loco esse Civitates, & sui juris executionem Principi committere debere volumus. vid. th. 37.* Loquimur autem hïc de Civitatibus in genere, & quæ merè subditæ sunt: singularibus enim aliquæ fruuntur juribus, ut v. c. Civitates Imperiales: has enim ob communicatam inter Imperatorem & Imperii Status Maiestatem omnem ferè in Exteros, quæ sine publico bello absolvitur, exercere posse talionis legem, iterùm asserimus. Vide etiam *th. nostram. 19.*

XLVI. Singuli tandem læduntur etiam directè aut indirectè *arg. l. 1. §. 3. de injur.* Directè in se vel in rebus suis: in se, scilicet in corpore, dignitate, famâ &c. *d. l. 1. §. 2. de iniur.* In rebus, cum patrimonio damnum fit per injuriam t. t. ad L. Aquil. Indirectè in Personis iterùm vel Rebus: In Personis, quæ vel in nostrâ potestate vel affectione; in potestate nostrâ tum patriâ, ut in filiis, horum enim injuria semper propriè ad nos pertinet *d. l. 1. §. 5. 8. de injur. tum herili, ut in servis. l. 15. §. 34. 35. de injur.* In affectione nostrâ sunt affines, cognati, ministri, & in his omnibus lædimur per indirectum. *l. 1. §. 3. pen. l. 15. §. 24. 35. l. 18. §. 2. de injur. l. 2. C. eod. arg. l. 1. 2. 3. de liberal. causa. junct. l. 5. §. 5. de his qui effud. vel dejec. arg. §. 3. 6. l. de iniur.* In Rebus etiam nobis cum Coucivibus nostris communibus indirectè lædimur *arg. l. 1. de loc. & itiner. public. l. 2. §. 2. 10. ne quid in loco public. l. unic. §. 9. ne quid in flum. public.* In his enim aut aliis si Civitatis nostræ jura violentur, & Magistratus in custodiam horum jurium minus sit intentus, excitare officium illius, & ad tutandum suum Civitatis jus popularibus experiri possunt actionibus Cives. *arg. l. 1. & tt. de popular. actionib.* An autem postulatio talionis etiam transeat in heredes, distinctè iterùm hic exponendum: Aut enim ob contumeliam defuncti ad meram vindictam exigenda talio *arg. §. 7. l. de iniur. l. 2. §. 4. de Collationib.* & non transibit ad heredes. *§. 1. l. de perpet. & temporal. arg. l. 24. de in ius vocand.* nisi ignominia defuncti etiam urat heredem, & post mortem ejus

primum



primùm inchoata. l. 1. §. 4. de iniur. si quâ autem alia actio pro vindicta defuncti competat heredi, illa quidem non transit iure hereditario, sed competit iure communi & populari, heres tamen, cuius præcæteris interest vindicari defunctum, saltèm præfertur reliquis. arg. l. 5. §. 5. De his qui effud. vel deiec. Aut damni reparationem intendit Talio, & transibit ius illius exigendæ etiam in heredes, d. §. 1. l. de perpet. & temporal. actionib.

11. Materialis Objectiva.

XLVII. Attinuit nos diutiùs Subiectum Talionis lædens & læsum: Sic tamen fieri ferè necesse erat. Præcipuam enim, nostro quidem iudicio, circa illud difficultatem nobis minabatur Talio, illam itaq; ibi superare contendimus, quò nobis impostèrùm de reliquis expeditior dicendi locus foret. Aggrediendum nunc è lege methodi obiectum: Id dicimus esse Facta, quæ lædunt aut Rem aut Personam nostram: ob illa enim damni reparatione, ob hæc vindictam imprimis flagitat Talio. Ea autem facta sunt aut Turpia, ut crimina, aut Media inter vitium & virtutem, qualia sunt v. g. si quis novum ius apud Magistratum pro se obtinuerit, cum creditoribus hereditariis ut tutor vel curator pactus, instrumenta & testes produxerit: Idem enim ipse ius, pactum, instrumentum, testes contra se usurpari, bono animo ferat. l. 1. §. 1. quod quisq; iur. in alter. statuer. l. 44. de pact. l. 59. de administr. & pericul. tutor. N. 49. C. 2. l. 17. C. de testib. aut si quâ Populus aut alia Universitas quid novi iuris in nos statuatur sive L. publicâ, sive Re iudicatâ: idem enim ius in eosdem nos iure talionis posse retorquere, mera æquitas est, & docet t. t. quod quisq; iur. in alter. statuer. Quamvis autem Edictum Prætoris in d. t. præprimis animadvertat in Magistratum, qui dolo ius novum statuit. arg. l. 2. d. t. quia tamen ratio huic Edicto substrata, scilicet sine indignatione cuiusquam iustum esse, ut quod quis ius dixerit alii, eodem ipsemet utatur. l. 1. pr. d. t. etiam militat, ubi ius novum non præcisè dolo constitutum, bonâ consequentiâ sanctio illa & ad hoc produci potest. arg. l. 12. de LL. Præterea cum lex Civilis semper deflectat à simplicitate iuris gentium l. 6. de justit. & iure. quotiescunq; novum aliquod ius constituitur, ferè aliquid calliditatis, aut si inverecundiùs loqui velimus, doli sibi miscet: ob quem tamen dolum non damnatur lex, quia nec dolum ipsum semper abominantur iura arg. l. 3. de Dolo mal. si quid enim invidiæ lex civilis sibi contrahit, abstergit id pu-



ad publica civium, cui sic consulitur, utilitas, *arg. l. 31. pr. Depos. id eod*  
 enim legum ferendarum potestatem & DEus & gentes Principi-  
 bus fecerunt; quarum tamen aliquâ si lædant Exteros, profint au-  
 tem suis Principes, jus quidem talionis, vel juris in se statuti vicem  
 reddere possunt læsi, legem autem ipsam damnare aut Principem  
 in sui juris exercitio turbare non pollent. Et hæc ratio, quare  
 novi juris constitutionem plerumq; factum mediæ naturæ esse ve-  
 limus.

XLVIII. Ut iterum in hypothese differam de hac mate-  
 riâ: Apud Gallos L. publicâ à successione arcentur Advenæ si-  
 vè heredes exteri; apud Bohemos etiam. Jacob Thoming. *Decis.*  
 26. n. 6. Angli quoq; heredes collaterales peregrinos remouent  
 ab hereditate suorum. Jacob Schult. p. 1. qst. 6. n. 1. & seqq. Quis-  
 quis in thesi considerabit has constitutiones, proculdubiò ut ini-  
 quas condemnabit: Ex jure enim gentium aut voluntate defuncti  
 præsumptâ proximis, aut eadem expressâ institutis quibusvis he-  
 redibus deferenda successio: Temperatius autem iudicium ejus  
 erit, qui sapit has leges æstimare ex hypothese publicæ indigen-  
 tiæ, cui sic consulitur, aut sanè olim consultum fuit: non enim  
 statim cessat lex, cum cessat ejus ratio, & Resp. eget etiam tùm, cum  
 dives est: neque enim quies gentium sine armis, non arma & cæ-  
 tera imperij onera sine preciosissimis sumptibus. Hinc Augustus  
 Cæsar civibus etiam Romanis hereditatem invicem capientibus  
 subducebat vicesimam. *Dio. lib. 55. Berlich. p. 3. Conclus. 52. n. 1. 2. 3.*  
*&c.* Cujus etiam memoria extat in *l. ult. pr. C. de Edict. D. Adrian.*  
*toll.* Secutæ exemplum Augusti multæ Civitates & Germanæ  
 & Italæ, ut Noriberga, Augusta, Spira, Florentia, &c. totus etiam  
 Electoratus Brandenburg: quæ non patiuntur ab Exteris, etiam  
 Imperij Romani Civibus, capi apud se hereditatem sine alicujus  
 partis subtractione, quam nostrates vocant *Abzug oder Nachsteuer*  
 quod jus aliqui usurpant etiam tùm, cum cives à se aliò sunt migra-  
 turi: pendere enim hi Civitati dimittenti certam bonorum sum-  
 mam coguntur, vide iterum Jacob Thoming. *Decis. 26. n. 42. Gail.*  
*2. observ. 36. n. 10.* nec id adeò absurdum: publicæ enim impensæ  
 pro cunctis civibus proculdubiò factæ, aut æs alienum fortè ob  
 necessitatem Reip. contractum: pro his itaq; in partem satisfac-  
 cere Civitati, omninò civem abeuntem decebit. Tale tamen aut

D

simile



simile aliquod jus in nos aut nostrates si usurpent aut Galli, aut Bohemi, aut Angli aut alij, nos è Lege Talionis in eosdem idem posse retorquere, indubium est. Idem etiam obtinet, si fortè Rejudicatâ nos aut nostrates lædant alij v. g. si in concursu Creditorum Cives suos creditores sive hypothecarios s. chirographarios collocationis sententiâ omnibus aliis Exteris præferant: eodem enim jure si in illos utamur, nemo nobis justè indignabitur. Per varia quidem hîc ire possemus exempla, sed fugimus prolixitatem, & ex hypothesi nos iterùm colligimus in thesin, dicimusq;: *Quodcunque jus, sive æquum sive iniquum, alij in nos statuerint, eodè in illos nos iterùm è solidâ justitiæ ratione posse uti.* An autem, ut nos Talionis jure uti possimus, sufficiat, factam esse saltèm ab aliquibus L. publicam, quâ nos aut nostrates, si casus daretur, læderentur, an verò requiratur præcisè, nos ipso actu jam esse læsos, meritò hic disquirendum? Posterius requirit Ius Saxon. 3. *Constit.* 38. §. *Wann aber eine Statt etc. Berlich. p. 3. Conclus. 51. n. 27. Carpzov. p. 3. Constit. 38. Definit. 8.* Videtur juvare. l. 1. §. 2. *quod quisq; jur. in alter. statuer.* Nos dubitamus saltèm: Certè ab iis, quorum noxia lex est, nondum tamen adversus nos usurpata, literæ, ut vocant, Reversales sunt exigendæ, daß auff jurragende Fälle hinwiederumb dergleichen Abfolgung geschehen/oder gleich Recht den unserigen gehalten werden solle. Reinhard Rosa in *addit. ad Dan. Moller. hîc n. 7. Carpzov. d. p. 3. Constit. 38. Definit. 9.*

**XLIX.** Ulteriùs facta turpia, in quibus occupatur Talio, sunt Crimina aut Publica, aut Extraordinaria, aut Privata. Publica autem Crimina hîc dicimus, primò sensu vulgari, ratione scilicet Causæ Efficientis & Subjecti accusantis. l. 1. *de public. judic. §. 1. l. eod.* Secundò ratione Subjecti nocentis v. g. si populus aut alia Universitas delinquat: his enim talionem rependi & posse & sæpè opus esse, supra jam docuimus. Adpositè ad hâc rem, quâ thesin, quâ hypothesin, locus *Sapient. 11, 16. 17.* Sic ipse DEUS Amalekitas, quod bello improbè lacessiverant Israel. *Exod. 17, 8.* bello puniri & excidi jubet. *Deuter. 25, 17. 18. 19.* Ex Lege etiam civili res & personas bello captas, bello posse repeti discimus. l. 14. & 19. *pr. de Captiv. & postlim.* Vastatori populo reciprocam minatur vastationem DEUS. *Esa. 33, 1.* Pharao masculam prolem Ebraorum occidi & suffocari jubet. *Exod. 1, 16. 22.* ipse iterùm cum universâ prole mascula



le masculâ Ægyptiorum occisus & suffocatus. *Exod.* 12, 29. 14, 26. 27. *Sapient.* 18, 5. Adonibeselek 70. Regibus præciderat pollices, idem sibi ab Israelitis instinctu divino justè factū ipsemet agnoscit. *Iud.* 1, 7. Regem Ahab cruentâ morte perire, & canibus projici staturat DEus, quod Naboth innocentis sanguinem profundi & à Canibus devorari falsis testationibus effecerat. *1. Reg.* 21, 19. & seqq. Consilio adducimus plura exempla è sacris; Confidentiùs enim in his acquiescunt Conscientiæ, & Legum instar sunt, ad quas nostra tutò conformari potest justitia: Ab exemplis autem ex historiâ gentium petitis idè abstinemus, quia & id prolixum, nec adè solida indè collectio foret. An autem jure Talionis malè possint haberi Legati ejus, à quo Legati nostrates læsi, disputat & negat *Grot.* 2, 18, 7. Nos distinguimus, an Legati lædentis priùs ad nos missi, quam injuria nostratibus facta, an verò postmodum: Circa priores assentimur Grotio, scilicet quod receptione velut tacitâ quadam pactione jam cautum securitati Legatorum apud nos commorantium, & iis antè nostra sit pignorata fides, quam deindè fallere, incivile esset; in posteriores autem posse exerceri Legem talionis, fortè statuimus. An etiam jure Talionis possit supplicium sumi à deditis & Captivis hostium, à quibus se dedentes & captivi nostri eximiâ crudelitate & contra fas gentium interempti, iterum inquirat & negat *Grot.* 3, 4, 13. & 3, 11, 16. nimirum quod talio justa & propriè dicta nō transire debeat personam nocentis: Et boni viri quidem hoc judicium est: An non tamen, ut hostis imposterum à superbo & insolenti supplicio nostrorum se temperet, & quod unum corpus sit ex distantibus capitibus collectum. *arg. §. 18. l. de Legat. iunct. l. 30. pr. de usurp. & usucap.* talio etiam ipsis nocentibus non facilè reddi possit, severissimis interdum in alios hostium captivos opus sit exemplis, æstiment alij è militaris Prudentiæ lege.

L. Crimina publica, quæ sic dicuntur ratione Causæ Efficientis, & in quibus talio locum habet, sunt v. g. homicidium: sanguinem enim effusum sanguine lui jussit DEus. *Gen.* 9, 6. 7. sequuntur LL. Civiles. §. 5. *l. de public. iudic. l. 8. C. ad L. Cornel. de Sicar.* exemplum puniti homicidij illustre in Joabo. *2. Sam.* 3, 27. *1. Reg.* 2, 34. Injuria atrox, velut membrum ruptum aut excisum: hinc enim olim talio præcisè erat, §. 7. *l. de iniur. Exod.* 21, 23. 24. 28. &



locis parallelis, sequitur Leonis N. 92. Hodiè iudicio publico ex L. Corneliâ extraordinariâ pœnâ vindicatur. §. 8. l. de injur. l. 5. pr. eod. l. 12. §. ult. de Accusat. arg. l. 42. §. 1. de Procurat. Crimen falsi illud, quo quis aut falsis testationibus usus, aut falsum testimonium perhibuit. l. 1. pr. ad L. Cornel. de fals. l. 27. pr. d. t. aut falsis accusationibus supplicium alicui intendit. l. 3. §. 4. ad L. Cornel. de Sicar. l. 2. de Concuss. Wesenb. w. n. 5. de Calumniat. C. A. th. 11. in fin. ad Sc. Turpyll. & de abolitionib. quicquid enim mali hi aliis intentant, idem ipsimet falsitatis & calumniæ convicti subire coguntur. l. ult. C. de Calumniat. l. 6. §. 2. de Custod. reor. l. ult. C. de Accusat. Leonis N. 77. in fin. Carol. Constit. artic. 68. Deuter. 19. 18. 19. 20. 21. quod multò magis obtinebit, cum testationes falsæ fuerint juratæ arg. Carol. Constit. art. 107. Illud etiam, cum iudex Principum Constitutiones neglexit. l. 1. §. 3. ad L. Cornel. de fals. exemplum in l. ult. C. Ne sanct. baptis. iteret. Incendium. l. 1. pr. ad L. Cornel. de Sicar. vivi enim comburuntur incendiarij. l. 9. de incend. ruin. nauf. Carol. Constit. art. 125. Crimen castrationis. l. 3. §. 4. l. 4. §. fin. l. 6. ad L. Cornel. de sicar. N. 142. C. 1. Extraordinarium Crimen est, & talio in illo locum habet ex jure novissimo, cum quis hospes peregrinum testari prohibuerit, ipse enim iterum à testamenti factione arcetur, Auth. omnes peregrini. C. Commun. de success. Sic etiam talio obtinet in delicto privato injuriarum: quisquis enim conviciis alterius famam proscindit, ipsemet iudicio injuriarum damnatus, præter alia etiam infamiâ perpetuò laborat. l. 1. §. 5. de his qui notant. infam. l. 15. §. 2. de iniur. Cætera, si quæ sunt, colligere, propositi nostri ratio nos abstinere; ponimus ergò hic iterum regulam, & dicimus: Talionem, utpotè ipsi justitiæ & divinæ & humanæ intimè cognitam, toties in criminibus habere locum, quoties non ipsa retaliatio contra bonos mores & peccaminosa est, v. g. in adulterio, velle enim ibi par pari referre, abominatio esset.

Forma.

LI. Formam Talionis quod attinet, eam in iudicio, vel aliàs publicâ Magistratus autoritate ad instantiâ læsi, vel ex officio exigendam, factò lædentis sollicitè conformandam, & si circa crimina versetur, ad rationem proportionis Geometricæ esse reponendam dixerim: Vix enim nudam & simplicem Talionem admitteret justitia Distributiva, cujus est delicta & pœnas trutinare:

Hæc





Hæc verò perspicacissima; & omnes rimatur criminū circumstan-  
 tias. Agooscit id jus civile; & ideò facta ex multis vult iudicari  
 circumstantiis, causâ sc. personâ, loco, tempore, qualitate, quan-  
 titate, eventu. l. 16. §. 1. & seqq. de poen. facit hùc locus Exod. 21, 26. &  
 minùs iustitiæ conveniret, subditum, qui Principi aut Magistratui  
 excussisset oculum, tantùm privari oculo. Neque factum nocen-  
 tis, & id quod per Talionem rependitur, eodem opus est præcisè  
 subsistere puncto, sed reddi potest cum quadam latitudine: iniquè  
 enim agit, qui lædit, justè qui sic ulciscitur: nulla autem injuria  
 est, majus esse periculum nocentis, quam innocentis. Aristot. *Magn.  
 Moral. lib. 1. c. 34.* Miror ergò Favorinum Philosophum suæ Philo-  
 sophiæ immemorem L. Talionis ideò objurgasse apud A. Gellium  
*Noct. Attic. lib. 20. c. 1.* quod illa difficulter ad æquilibrium reponi  
 posset. Similitudinem enim injuriæ & vindictæ postulat quidem  
 Talio, & idem quemlibet vult pati quod fecerit, non idem autem  
 naturâ, substantiâ, & quantitate præcisè, sed æstimatione: hinc  
 etiam jam olim talio in multam converti potuit, locus valdè in-  
 gnis apud Grot. *de I. P. B. 2, 20, 10.* Ne apud Ebræos quidem, ait, in usu erat  
 talio, ut Iosephus *lib. 4. Antiquitat. c. 8.* & alii eorum Dd. notant, sed sole-  
 bat, qui læsus erat, ultra impendia à se facta, de quibus seorsim lex exstat  
*Exod. 21, 19.* pro talione pecuniariam multam accipere, quod & Roma fa-  
 ctum docet apud A. Gellium *lib. 20. c. 1. Sex. Cæcilius.* Eadem doctrina  
 Bodini ex Rabinis *lib. 6. de Rep. c. 6.* Gerhard. *Tom. 6. de Magistr. Poli-  
 tic. §. 279. p. 979.*

LII. Finis talionū aut Communis est cum iudiciis criminali-  
 bus, aut proprius: Cōmunis est, ut cunctis suæ sit securitas, nec Læsus  
 aut alius posthàc tale quid patiat, aut ab eodem, aut ab aliis: ma-  
 lo enim suo dedocebitur imposterum delinquere nocens, terreat  
 etiam alios publicus vindictæ conspectus. Publici ergò boni cau-  
 sa intendat oportet talionem Læsus: quod si autem ideò, ut pascat  
 animum alieno malo, suam satiet iracundiam, ac inimici dolore  
 sibi remedium quærat Læsus, vitiosa & irrationalis illa talio est:  
 nunquam enim malo cujusquam debet acquiescere ulciscens  
 animus, sed semper sibi bonum aliquod ex vindictâ proponere,  
 in solo autem inimici dolore nullum bonum, nisi falsum & ima-  
 ginarium *vid. th. nostr. 13.* Proprius Talionis finis est, ut licentia re-  
 tributionis prohibitio sit provocationis, & facilior injuriæ timor:

D 3 per:



*Etus  
Primus.*

*Ortus.*

per eundem saporē passionis: nil enim amarius quàm id ipsum pati, quod feceris aliis, nec unquam tamen jure indignari possit justitiæ nocens, qui idem in se patitur, quod statuit in alios: ipsa enim natura & conscientia ad talionem damnat Lædentem: Ne autem in infinitum æstimaret factam sibi injuriam læsus, & inde daretur occasio turbis, definit injuriæ æstimationem, & conscientiæ iudicium exequitur Magistratus. Varia autem hinc Magistratus executio est, ubique tamen sibi aut læsis debita. Certum equidem, ex jure, quod hæcenus docuimus, & suo facto nocentem obligari læso aut ad pœnam, aut ad damni reparationem: quoties igitur fugit Judicium lædens, ut violatæ justitiæ satisfiat, remediis opus est violentioribus, scilicet publico bello, pignorationibus, repressaliis, androlesiâ & aliis similibus: ubicunquè enim definit iudicium, necessariò incipit bellum, justum utrinque, sive pro se, sive pro suis id suscipiat Magistratus, ut jam supra docuimus: Cum contra, si iudicio & Legibus sive sponte sive invitus subjici possit Lædens, actionibus in jure experiri læsum oporteat, & his suū officium impertiri teneatur Magistratus. Competet autem Læso pro vindicandâ injuriâ actio injuriarum, ex L. Aquiliâ, ex utroque Edicto l. i. §. i. *quod quisque jur. in alter. statuer.* Accusationes publicorum iudiciorum & extraordinariæ in criminibus, de quibus specialius *th. 50.* & aliis similibus. Imò si natura, quod fieri solet *arg. l. i. pr. de insp. ventr.* factum aliquod novum generet, in quo idoneus Talioni locus, non autem ex Jure remedium aliquod adæquatum huic aptari possit, quia naturæ & gentium lex est par pari referre, subsidio Læsis erit Condictio ex Lege, vel etiâ ea, quæ dicitur juris gentium *arg. l. unic. de Condict. ex L. l. 25. de act. rer. amot.* Jure etiam Retentionis & Exceptionibus interdum nobis consultum erit, tum imprimis, cū ab aliis novo aliquo jure sive Lege, sive Rejudicatâ nobis aut nostratibus nocitum est: tantundem enim à novi juris artificibus aut eorum civibus jure Talionis retinere, & nobis aut nostratibus pro indemnitate nostrâ addicere possumus, *vid. thes. nostr. 48.*

*via.*

LIII. Hæc tamen omnia tum demum ita obtinebunt, cum læsus non dissimulaverit injuriam *arg. §. ult. l. de injur.* aut pactus est vel transegit de eadem cum lædente: ita enim Lex XII. Tabul. Si membrum rupsit, ni cum eo pacit, talio esto. *vid. th. nostr. 14.* Et Principi quidem & aliis Populorum Rectoribus læsis dissi-



sis dissimulare iniuriam aut de eâ suo vel suorum nomine pacisci, plenissimum ius est: utrum verò dissimulare an ulcisci, magis ex usu Reip. è prudentiæ lege statuendum. Inter privatos verò restrictior erit hæc paciscendi licentia, nimirum remittit quidem perpetuò suum ius læsus paciscendo. *arg. l. 7. C. ad L. Cornel. de fals. l. 42. C. de transact.* si tamen crimen nocentis tale sit, ut mereatur etiam animadversionem publicam, pacto Læsi non factum est præiudicium aut Magistratui, aut aliis etiã Concivibus, quorum interest, esse sancta civitatis iura, & crimina solenni exemplo puniri *arg. l. 5. §. 1. ad L. Iul. de vi publ. l. 4. §. 1. ad SC. Turpyll. l. 11. §. si de Accus. l. 2. C. de Abolit. Wes. π. n. 5. de Transact. Treutl. 1. D. 7. §. lit. d. Bach. ad Tr. ibid.* Inimica etiam est Talioni facti & pœnæ inæqualitas: etiam præscriptio, quæ varia hîc pro diversis, quibus talio exigitur, actionibus. Aut enim civilibus experitur actionibus læsus, & non nisi 30. annorum præscriptio obstabit *pr. l. de perpet. & temporal. action. l. 1. §. 1. C. de Annal. Except.* exceptâ tamen actione iniuriarum, eam enim anno finiri expeditum est. *l. 5. C. de injur.* Aut accusationibus criminum, & vicennii præscriptio excludet læsum. *l. 12. Cod. d. L. Corn. de fals.* An autem inter diversos populos ex iure gentium præscriptio opponi possit bello, quod pro ultione aut re nostrâ repetendâ suscipitur, magis dubium? Et illi quidem, qui præscriptionem esse Juris civilis tantum inconsideratè statuunt, non possunt non negare illam hîc habere locum: Cæteri, qui rectius sapiunt, & ex Jure gentium præscriptionem profundiori iudicio derivant, inter Reges etiam & populos esse præscriptionem, pro confesso habere necesse est. vid. *Grot. de I. P. B. 2, 4, 1. 2.* concisè, ut solet, solidè tamen *Locam. quest. ad Instit. 196.* Et certè non potest non absurdum esse, ut privatis tandem esset quies, & singulis suarum rerum certitudo, boni publici causa positam esse præscriptionis legem in iure civili *l. 1. de usurp. & usucap.* illam autem, cui tamen naturalis ratio substrata, non agnoscere gentes & Reges, quos esse in pace, totius humanæ societatis interest, cum eorum rixis necessariò aliquot hominum myriades simul in periculum eant. Cæterum ut ipsam præscriptionem Juris gentium esse volumus, ita tempus præscribendi inter Gentes definitum non est. Et quidem immemoriali tempore absolvi de causis publicis præscriptionem, ferè inter prudentes convenit *Grot. de I. P. B. 2, 4, 7. Andr. Knich. in tr. de Iure terrior. c. 3. n. 53. Reinking,*



King. lib. 1. Class. 5. c. 11. n. 5. Distinguiamus autem nos, an ad pœnam exigendam suscipiendum bellum, an verò pro re nostrâ recuperandâ: priori casu, quia bellum, quod pro vindictâ geritur, iniustitiæ valdè suspectum, & obsita vetustate crimina seris pœnis persequi, semper exosum gentibus, ex analogiâ juris arctius tempus sufficere arbitramur: posteriori autem, cum de re nostrâ bello amissâ, bello repetendâ agitur, ex immemoriali sive centenario tempore fortissimam quidem rei derelictæ præsumptionem ob tam supinè negligens otium nasci contrâ amittentem, & iure ei opponi posse præscriptionem, cum magnis Autoribus statuimus; modò tamen subintelligatur, sufficere etiam hîc tempus brevius, si nimitùm appareat ex actibus & signis aliquot, non mathematicis quidem, sed probabilibus, Amittentem citiùs proiecissè rei recuperandæ spem, & suum pro derelicto habuisse. Et tantum de Jure Talionis dixisse sufficiat.

**SOLI DEO GLORIA**






X 2615934

Wort










qua  
ulder  
am ca  
blica  
fficile  
o aute  
na hac  
scenc  
lum p  
lime  
anc i  
eces :  
na dig  
K. lau

I



24 ~~Diff. 24~~  
48f.

1650, 9.

D. A. E. P.  
DISPUTATIO INAUGURALIS

DE  
**JURE TALIONIS**  
QUAM

Autoritate & Decreto Nobilissimi Collegii  
Juridici Argentoratensis  
*Pro summis jurium honoribus & privilegiis  
consequendis*

proponit

**PHILIPPVS Schulz**  
Stetin. Pomeran.

*d. 19. Decemb. in Audit. Veteri.*



ARGENTORATI

Typis JOHANNIS PHILIPPI MÜLBI,  
ET JOSIAE STÄDELI,

M. DC. L.

